

Cuncte adeunt, dubioque petunt certamine solvi.
 Annuit huic levo ^(a) cetus regina canori
 Cauta supercilio sensus non reddere certos,
 Nescio quid digito signans monstrante coronam,
 Forte quod hoc meriti faciet discrimen honoris, 5
 Et prestans virtute caput decorabitur inde.
 Phebus ut advertit nutum mentemque notavit,
 Obsequitur varioque trahit sermone morantes,
 Atque ab eo quod scire petunt procul omnia narrat.
 Postquam deludi se persensere sorores, 10
 Conceptum facie male dissimulante ruborem,
 Deducunt alio ludum certamine misso.
 Unaque fit cunctis mens tunc ^(b) <sacra> iussa sequentem
 Intentumque aliis Leonardum poscere carmen,
 Illius ^(c) ad modulos festas agitare choreas, 15
 Et placidos avide per cantum ducere saltus;
 Quem tellus Aretina tulit, nunc accipit aula
 Pontificis summi, secreta ad scripta ^(d) vocatum.
 Ergo abeunt, me grata nimis spectacula linquunt.

versi 129.

(a) *B* leto (b) *Codd.* tunc iussa (c) *Questo verso manca in B. C dà illud*
 (d) *Codd.* ad ista *L' emendamento è del Sabbadini.*